

nuper cum Sacramentarijs sive Neo-Nestorianis Syncretismo, ab Articuli huius puritate, ipsorum etiam Pontificiorum Theologorum suffragijs antè approbatà; adeoque ab ipsâ Romanâ Ecclesiâ, in præcipuo doctrine Christianæ capite, sacrilegam instituisse apostasiam sive defectionem.

18. Cuius rei argumento præterea esse potest, quòd ne hodiè quidem omnibus Pontificiis Syncretismum istum Sacramentario--Iesuiticum probari, sed benè multos eadem nobiscum de hoc articulo confiteri constat, licet ijs non rectè utantur.

19. Neque est, ut ex dogmate Maiestatis Christi hominis (quam sub exoso Ubiquitatis nomine, Sacramentariis hac etiam in parte succenturiantes malè feritati Iesuitæ blasphemè exagitant) defectionis alicuius crimen nostris Ecclesiis intentent.

20. Tàm enim dogma illud novum non est, ut ex perpetuo Articuli huius sensu, fundamenta eius prorsus ἀλυτα, contra utrumque hoc hæreticorum agmen depromere queamus: id quod suo loco ad oculum demonstrabimus.

21. Hoc unicùm duntaxat, Coronidis quasi vitæ, meminerint Iesuitæ: Ecclesias nostras de hoc Articulo aliam non proponere sententiam, quam que ante exhibitam etiam Confessionem à Megalandro Luthero contra Sacramentariam hæresin

resin